

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10





DISPUTATIO JURIDICA

De

MODIS ACQVIREN-  
DI FEVDVM,

Quam

Divina favente gratia,

P R A E S I D E

Viro Amplissimo, Consultissimo & Ex-  
cellentissimo,

DN. IOH. OTTONE TABORE,

U. J. D. ET ANTECESSORE IN HAC

Argentoratensium Academia, Facultatis Juridi-

ca p. t. DECANO, Codicis & Feudalium Placitorum

Professore celeberrimo, Patrono suo & Praeceptore summo

obsequio atatem suspiciendo,

*Publicae placidaeque disquisitioni submittit*

FRANCISCUS MEINDERS,

Bilfeldiâ VVestphalus.

*Ad diem 21. Septembr.*

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICIS POOR,

clb Ioc L.

#2  
637.

1650/12.

27



152  
DISTRIBUTION

ADRIANUS

Quintus

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

ADRIANUS

15

152

re  
a  
bl  
pa  
pu

ne  
de  
A  
fu  
lib

qu  
qu  
fe  
Vi  
22

va  
du  
Al  
mi  
pr  
pe  
ru







T H E S I S I.



Um summa Reipublicæ salus , teste Imp. Iustiniano , de stirpe duarum rerum armorum scilicet atque legum veniat , vimque suam exinde munit. Const. summa de Iust. Cod. conf & Maiestas non legibus saltem armata, sed armis quoque decorata esse debeat , ut utrumque tempus & pacis & belli

rectè possit gubernari. pr. Proæm. Inst. prudentissimi ab omni ævo humani generis rectores non tantum tranquillitati Reipublicæ pacis artibus: sed & temporibus belli (sine quo pax neque parari neque conservari quandoque potest) salutaribus præceptis maxima cura prospicere studuerunt.

2. Ut autem utiliter & feliciter bellum geratur, nihil æque necessarium est, quam semper in promptu habere exercitatos fidelissimosque milites , eosque nativos potius quam extraneos: Auxilia enim prorsus extranea vocanti nunquam non periculosa fuisse omnium ætatum exempla demonstrant. vid. Tholof. de Rep. lib. 11. c. 3. Forstn. hypomn. polit. 2. In hunc finem feuda primitus quoque inventa sunt. Concedebantur enim prædia vasallis, ex quibus honeste sese alere possent , ea lege ut quoties necessum esset Domino in expeditionibus bellicis operas suas præstarent; Vnde sæpissimè in usibus FF. vasalli appellantur milites. I. F. tit. 22. & 23. alibique passim.

3. Quo tempore autem instituta hæc feudalia cœperint, valde inter Dd. controversatur. Rittersh. part. feud. lib 1. c. 1. q. 5. duodecim enumerat diversas de hac quæstione Dd. sententias: Alii plures, alii pauciores, quas omnes recensere & examinare nimis longum foret. Ego, salvo aliorum iudicio, institutum hoc proprium esse Germanicarum gentium ; nec usquam facile reperiri, nisi ubi Germani aut eorum maiores sedes suas olim posuerunt, defendere conabor.

A 2

4. Nec





4. Nec enim putō Longobardos solos feudalium consuetudinum autores & inventores esse dicendos, cum *Duaren. tr. feud. cap. 3. Vult. de feud. cap. 1. num. 14. Godd disput. feud. 9. 5.* Nam Gothi ( inquit Grot. 2. de I. p. & b. cap. 7. num. 21. ) Vandali, Allemanni, Franci, Burgundiones, Angli, Saxones, nationes omnes Germanica, qui partes optimas Imperii Romani bello occuparunt, suas singuli leges aut mores de feudis non minus quam Longobardi habuerunt, cui consentit *Rittersh. part. feud. l. 1. c. 1. q. 2. & Herman. Conringius de Orig. Iur. German. cap. 32. in fin.* Hinc 2. FF. I. dicitur, consuetudines feudorum varias esse, & secundum diversorum locorum aut curiarum mores, diversas: & 2. F. 29. fit mentio legis Salicæ, quæ lata putatur an. 412. sub Rege Pharamundo. *Conring. de orig. Iur. German. cap. 7. pr.* cum Longobardi anno demum 568. in Italiam venerint.

5. Vulgares tamen feudorum libros Longobardorum mores ut plurimum continere arbitror, cum non tantum ab hominibus Mediolanensibus, Gerardo Nigro, Oberto de Orto aliisque conscripti sint, sed & sæpissime legum Longobardicarum in iis fiat mentio. *vid. 2. FF. tit. 1. 27. pr. 39. fin. 2. & 1 F. 10.*

6. Licet a. supradicti librorum feudalium autores homines fuerint privati, adeoque legum condendarum potestate destituti; Omnes tamen omnino Imperio Romano subiectos, & in eo feuda tenentes, ad iuris feudalis observantiam obligari cum communi feudistarum scholâ affirmo. *Curt. Iun. quest. 1. part. 1. Borch de feud. cap. 3. num. 30. & seqq. Vult. l. 1. cap. 1. num. 5.* De constitutionibus Imp. hoc nullam omnino patitur dubitationem, quoad reliqua verò capitula sunt qui contradicant; *Inter quos novissimè est H. Conring. de orig. Iur. German. cap. 33. in fin.* Vbi ius feudale in Germania nihil valere putat, eò quod nunquam publico Germaniæ consensu de eo quid constitutum sit. Sed cum nihil intersit, expressè quid an tacitè & rebus ipsis & factis quid sanciat. *l. 32. §. 1. ff. de ll.* quamvis ius feudale expressè confirmatum non esse Conringio detur. *Conf. in contr. 2. F. & 52. iunct. Auth. habita C. Ne filius pro patr. 2. F. 53. §. 3. C. iunct. auth. Sacramenta puerum C. si adv. vend. 2. F. 54. 55. & pass.* Quid n. opus fuerit nova confirmatione cum Imp. constitutionibus iugiter, etiam per ipsos Imperii recessus



cessus recentiores firmatum sit. v. *Ierem. Reusn. disp. feud. 1. §. 27. pag. 17.* tacitè tamen illud ab Impp. & populo comprobatum esse nemo negabit, dum & populus moribus illud recepit, & Impp. in suis Academiis publicè illud prælegi & secundum illud causas feudales diiudicari scientes permiserunt.

7. In Germania ergo has consuetudines feudales in controversiis feudalibus legis vim habere, easque omnes non tantum seculares, uti statuit *Ant. Barbatia in c. ceterum de Iudic.* sed ecclesiasticas quoque personas ligare, quatenus Canones non contradicunt, existimo *Tib. Decian. cons. 90. num. 1. vol. 3. Schrad. part. 1. n. 2. n. 1. Vult. 1. cap. 1. num. 8. & Dd. comm.* Quod tamen adeo extendendum cum *Ros. de feud. conc. 9. cap. 1.* non videtur, ut omnes Reges ac Principes Christianos in tota Europa illarum autoritate teneri, aut Jure Gentium illas consuetudines receptas esse, cum *Wesembec. in Proem. de feud.* affirmandum sit; Licet enim illarum quædam extra Germaniam in Galliâ, Hispaniâ vel alibi observentur, vid. *Guid. Pap. Boer. Seysel citat. Obrecht 1. feud. cap. 3. num. 7.* hoc tamen ex nulla puto fieri necessitate, sed quia supremæ maiestati ibidem hoc ita placuerit, cui ideo iisdem abrogatis alias ab hisce diversas feudales consuetudines introducere liberum est.

8. Feudi vocabulum barbarum bonisque auctoribus incognitum est; nec ulli apud antiquiores scriptores illud inveniri quam in constitutione Caroli III. cognomento Crassi qui circa an. Chr. 880 imperavit, ex *Marq. Freher. testatur Rittersh. 1. c. 1. quest. 12.* adeoque frustra sunt, qui huic vocabulo Latinam vel Græcam Etymologiam assignare student, illud vel à *βειδέω* vel à fide vel aliunde derivantes vid. *Godd. disput. 1. §. 11.* nec illos iuvat *Feudista 2. 3. in fin.* ubi Feudum à fidelitate dictum vel à fide asserit. Non enim vera hæc vocis notatio, sed allusio quædam est, Jctis quoque frequentissima, ut in *l. 1. de acq. poss. l. 1. de novat. l. 2. §. 2. de reb. cred. & ipsi Imperatori usitata pr. 1. de testam. §. 1. in fin. de Interd. & alibi passim.*

9. Existimo ergo, sicut feudorum institutum proprium est Germanis, ita & ipsum feudi vocabulum Germanicum esse, (*Vossius lib. 1. de vit. Latin. serm. cap. 7. p. 32. arbitratur Gothicum esse*) & ab antiquo verbo *Fehde*, quod inimicitias & bellum denotat, descendere. Feuda enim præcipue & primario, bellorum cau-





sa inventa & instituta esse supr. §. 2. dictū est. Hinc *Sehbrieffe* appellabantur literæ quibus bellū denunciabatur olim, quando lites & controversias maiores nostri, ante promulgatam pacē publicam in comitiis Wormariensibus an. 1495. sub rubr. vom königlichen Landfried // armis dirimere solebant, da das Faust und Kolben recht im schwang ging / & quibus denunciatum erat bellum diffeidati ipsaque denunciatio diffeidatio, de qua tot tit. 17. in A. B. dicebatur. Germanis hodie feudum dicitur ein *Lehen* / à verbo *lethen* / quod rei ad aliquem usum concessionem denotat. *Rosent. cap. 6. conclus. 29. num. 10.* Galli feudum appellant *Fief*, & plerasque consuetudines sive ll. municipales incipiunt à tit. de feudis des *fiefs*, teste *Rittersbüf. c. 1. q. 14.*

10. Definiri potest feudum, quod sit ius vasallo in alieno prædio à Domino directo sub conditione fidei constitutum.

11. Divisiones à causis peti possunt: veluti *ab efficiente*, in Novum, (cuius causā acquirens vasallus à seipso & Domino cedente habet) & *Vetus*. *Obrecht. 1. §. 5. n. 48. à subiecto*, in Ecclesiasticum & sæculare. idem n. 89. à *Forma*, in *ligium* & *non-ligium* idem n. 107. Item in proprium & improprium. *Obrecht. 1. feud. 6. num. 32. & seqq.* (quod posterius iterum varias subdivisiones recipit) *Ab effectu*, in *nobile* & *ignobile*. 2. *feud. 10.* (Alii ad efficientem hanc divisionem referunt. *vid. Obrecht. 1. feud. 5. num. 21.* Alii ad *formam*, *Hunnus de feud. cap. 16. pag. 68.*) A *duratione*: in *temporale*. 1. *feud. 4. §. 4. Et lib. 2. feud. 2. §. & perpetuum &c.*

12. Causam efficientem propinquam, & eorum qui feuda dare possint, recensioem his consulto omitto, quippe modos constituendi & acquirendi feuda potissimum percensere institui.

13. Modus feudum constituendi à modis acquirendi quantum distent actionū ab utrisque descendentiū probat diversitas; Feudo enim constituto competit tantum actio personalis contra Dominum, qui feudum præcisè tradere compellitur, nec liberatur præstando interesse. §. *si facta tit. 26. F. 2.* Cum autem feudum vasallus iam acquisivit, habet hanc potestatem, ut tanquam Dominus possit à quolibet possidente (adeoque ab ipso quoque Domino *fac. lex 1. in fin. si ag. vect.*) illud quasi vindicare per §. *Rei autem 2. F. 8.*



14. Constituitur feudum per investituram 2. F. 25. quæ & investitio appellatur 1. F. 28. ab investiendo ita dicta, quod in genere possessionem rei alicuius concedere significat, cui contrarium est divestire. *Vossius lib. 4. de vir. Sermon. cap. 6. i. e. possessione aliquem privare. Vult. cap. 7. n. 4.* Est autem investitura nihil aliud quam legitima feudi constitutio, fitque vel propriè vel abusivè 2. F. 2. Propriè, quando vasallus corporaliter in rei feudalis possessionem inducitur, illamque ita sibi acquirit, ut postea iterum eam apprehendere necessarium non sit, quo casu licet constitutio feudi cum acquisitione tempore concurrat, tamen natura hæc illa posterior est. *vid. Vult. d. e. 7. in pr.*

15. Impropiè fit investitura, quando Dominus, presentibus ad minimum duobus, idoneis testibus, vasallo signum aliquod, puta sceptrum, gladium, annulum &c. porrigens se investituram facere dicat. 2. F. 1. per quam constituitur quidem non tamen acquiritur feudum, adeoque missio in possessionem eiusque apprehensio necessaria adhuc est. 1. F. 4. *pr.* quam vasallus proprià autoritate facere, prædiumque, in quo feudum constitutum est, etiam irrequisito domino ingredi potest. Hoc enim per dominum tacitè ipsi concessum videtur *Gail. 2. obs. 152. Borch. e. 7. n. 3. Wesemb. cap. 8. n. 15. Rittersh. cap. 8. q. 8.*

16. Constitutionem feudi sequitur eius acquisitio, de qua Feudista *in fin. tit. 1. lib. 2. FF.* Sciendum est, inquit, feudum neminem posse acquirere nisi investitura aut successione; quæ regula repetitur *in pr. tit. 11. & tit. 33. lib. 2. F.* sicut autem nuda traditio nunquam transfert dominium, nisi iusta causa præcesserit, propter quam traditio sequatur, *ut ait Ictus in l. 31. de acq. rer. dom.* ita & hoc casu acquisitione feudi oportet præcedat iusta aliqua causa five iustus titulus, cuiusmodi est donatio, emptio, permutatio, quam cambium vocant Feudistæ 1. F. 4. §. 2. & 22. §. 1. 2. F. 25. quos titulos Hottoman. *disput. feud. cap. 7. & Wesemb. cap. 6. num. 12.* acquirunt intuitu, inter modos acquirendi referunt: rectius inter titulos & causas remotas relaturi.

17. Duos ergo feudi acquirendi modos propriè ac strictè sumtos, pono 1. *Investituram* propriè sic dictam (per abusivam enim non acquiritur feudum, sed constituitur saltem, supra §. 13.) & *successionem.* Investitura hoc loco vel est vera vel præsumpta;  
 Vera





Vera, quando Dominus vasallum corporaliter & revera in possessionem rei feudalis inducit ; præsumpta, quando investitura rei ipsa facta quid non est, ob causam tamen facta esse præsumitur.

18. Præsumptio illa oritur 1. Ex re iudicata, quando sc. orta contentione, sitne prædium aliquod feudale nec ne iudex pronunciat illud feudale esse & ea sententia in rem iudicatam transierit. Fundatur autem hæc præsumptio in vulgatâ Juris regulâ, qua dicitur rem iudicatam accipi pro veritate *l. 25. de stat. hom. l. 207. de reg. iur.* Publicè enim interest quæ semel per sententiam iudicis definita sunt, non retractari *l. 3. de off. prætor. adeo- que post sententiam latam non quaritur amplius an vasallus ius feudi habuerit, & de eo investituram acceperit, sed an iudicatum sit, arg. l. 6. de re iud.* Vulgo Interpp. sententiam iudicis non odium acquirendi specialem faciunt, *Rosen. cap. 6. concl. 72. Vult. c. 9. n. 24. Godd. disput. feud. 3. d. ult.* sed parum accurate, ut opinor. Sententia enim dominium de novo non tribuit, sed illud quod antea erat tantum declarat. *vid. Bach. ad §. ult. l. de off. iud.*

19. Secundò præsumptionem eliciunt ex verbis Domini. Si enim dominus (*inquit Feudista tit. 33. F. 2.*) alicui coram paribus curiæ dixerit; *Vade in possessionem illius fundi & tene illum pro feudo,* licet non intercesserit investitura, tamen tale est ac si intercessisset, & pro investitura habetur, quia ille eius voluntate, fundi possessionem nactus est, feudi nomine.

20. Ultimo præsumptio resultat ex lapsu temporis: Si quis enim per triginta annos rem aliquam ut feudum possederit, & servitium dominio exhibuerit, quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest *l. F. 26. §. 4.*

21. Ex quo textu 4. huius præscriptionis requisita notanda veniunt. Oportet enim primò, ut res sit possessa, cum nulla usucapio sine possessione procedat *l. 25. de usuc.* Non autem sufficit inchoare possessionem, nisi eadem continetur. Interrupta enim possessio ad usucapionem nihil prodest. *l. 5. l. 15. l. 33. de usuc.* quod & in textu modo citato videtur innuere particula *PER gloss. & Bald. ad §. si quis 2. 26. F.* Præterea requiritur ut possessio fuerit iusta, h. e. cum bona fide & iusto titulo coniuncta *Myns. 4. obs. 29. Roc. cl. 5. disputat. 17. d. 8. Vult. cap. 8. num. 14.* Quam-  
vis e-



647  
visenim in præscriptione 30. annorum neque bona fides neque iustus titulus de Jure civili desideretur l. 8. §. 1. & 2. C. de præscript. 30. ann. secus tamen est de Jure Canonico secundum quod possessori malæ fidei nulla currit usucapio. c. ult. ext. de præscript. c. possess. 2. de R. l. in 6. ibique Pecc. & Canis. Quod & in foro ita observari testes sunt Gail. 2. obs. 18. n. 2. Myns. 4. observ. 6. Rittersh. differ. iur. c. 13.

22. Alterum huius præscriptionis requisitum est, ut res sit possessa per 30. annos. d. §. si quis 2. F. 26. Ratio autem quare in præscriptione hac longius tempus quam in allodiali requiratur, plerumque à Dd. reddi hæc solet, quod præscriptio rerum feudaliū durior sit; maiorisque præiudicii quam allodialium, Rittersh. l. 1. cap. 18. quest. 4. Hattys. annal. I. F. cap. 7. §. secundol. b. Siquidem vasallum domino, & viceversa dominum vasallo multis modis (de quibus in forma fidelitatis) obstringat. Obrecht. lib. 2. de feud. cap. 6. n. 16. quæ tamen parum concludere, imò suadere potius videtur ut minori tempore res feudales quam allodiales acquirantur, cum longè gravius damnū sentiat dominus si prædium aliquod ut allodiale ipsi præscribatur, quā si ut feudale; quippe quod non tantum certis casibus ad illū reverti potest, sed etiam cuius nomine vasallus fidē & obsequia ei præstare debeat; Ego sicut non omnium quæ à maioribus constituta sunt, ita nec huius rei aliam rationem reddi posse puto, quam quod Longobardis ita visum fuerit cum Hottoman. ad a. §. si quis & Vult. cap. 9. n. 5. in fin. Anton. disput. feud. 5. §. 3. B. Nec locum inveniunt argumenta à maiori ad minus aut à simili in hac præscriptionis materia, ut quæ tota pendeat ex voluntate legislatoris, quod in materia Jurisdictionis quoque testatur Amplissimus Dn. Præses, in expos. l. un. C. de suffr. peric. 5. num. 15. Nisi quis eam supponere velit: quod hic non tam agi videatur, de directa ipsius feudi acquisitione: quam de acquisitione iuris feudalis: quæ Dn. Præsidis coniectura est.

23. An verò eadem sit ratio præscriptionis feudi Ecclesiastici quæ secularis inter Dd. non convenit plerique enim ad illam spacium 40. annorum requirunt, vide Rosenth. cap. 6. concl. 78. n. 7. cum alleg. Schrad. cap. 4. n. 17. Rittersh. diff. iur. lib. 3. cap. ult. quàm sententiam communem testatur Vult. l. 1. cap. 9. num. 9 sed cum textus noster indistinctè loquatur nulliusque differentie inter prædia Ecclesiastica & secularia mentionem faciat, ideo nec no-

B

bis



bis aliquam inter illa fingere convenit, adeoque ad præscribendum feudum quodcumq; siue ecclesiasticum siue seculare tempus 30. annorum sufficere puto cum *Vult. d. cap. 9. num. 8. Bocer. cl. disput. 17. §. 15.*

24. Tertio requiritur, ut rem possideat tanquam feudum *d. §. si quis, ibi: ut feudum possedit.* non vero ut rem propriam, nec ut pignus, alias possessio ad acquisitionem feudi, nihil facit. *Obrecht. disput. de præscript. §. 209. Vult. d. c. 9. num. 12. Rittersh. cap. 18. quest. 4. Hattys. anal. I. F. cap. 7. p. m. 35.* Quartò ut servitium domino exhibuerit. *d. §. si quis, ibi: Et servitium Domino exhibuerit.* quòd vel semel factum esse sufficere statuunt Interpp. comm. cum textus utatur numero singulari: *servitium. Rittersh. d. cap. 18. quest. 4. Vult. d. c. 9. n. 15.* Præscriptione cum hisce requisitis legitime completa feudum plene acquiritur, adeo ut nova investitura opus non sit, utpote quæ propter lapsum 30. annorum facta præsumatur. *Wesemb. cap. 6. num. 3.* Dominus autem si post hoc tempus vasallo controversiam de feudo movere plenoque iure illud sibi vindicare tentet, præscriptione tanti temporis repellitur. *d. §. si quis in fin. Mod. Pist. conf. 31. vol. 2.* Imo si possessionem feudi amiserit vasallus utilem habet contra omnes etiam ipsum Dominum rei vindicationem *Rof. d. cap. 6. concl. 78. n. 2.*

25. Hac de acquisitione feudi per investituram. Sequitur videamus, quomodo feudum acquiratur per successionem, eamque tum ordinariam, tum extraordinariam siue anomalam. Ordinaria successio vel ex testamento rite confecto vel immediate per legem intestato defertur *§. ult. Inst. per quas person. nob. acquir.* Illa testamentaria, hæc legitima Doctoribus appellatur.

26. Licet autem de Jure Civili successioni ab intestato locus non sit, quamdiu ex testamento speratur heres. *l. 39. de acq. her. l. 89. de R. I.* aliud tamen obtinet in successione secundum ius feudale, cui successio testamentaria minus usitata est, cum regulariter nulla omnino ordinatio defuncti in feudo valeat, *per text. express. in pr. tit. 9. F. 1.* Cuius regulæ ratio est 1. Quod omnis feudi alienatio prohibita sit, *t. §. 2. & 55. F. 2.* testamentaria vero dispositio pro alienatione habetur. *l. 8. §. ult. C. de sec. nupt.* Secundò quia de iis saltem testari licet, quæ ad heredem non aliunde quam à defuncto perveniunt *arg. l. 14. ad L. Falcid.* Feudum autem non à defun-



defuncto, sed à primo acquirente ad heredes pervenit. *arg. i. F. 14. §. si Capitanei. Hottom. ad d. tit. 8. F. 1.*

27. Et obtinet supradicta regula 1. Etiam si feudum fuerit novum, per *pr. d. tit. 8. f. 1. ibi: succedunt filii aequaliter Vult. cap. 9. num. 163. Bocer. §. disputat. 18. §. 34. Dissent. Schrad. tr. feud. cap. 2. part. 7. num. 19. Hartmann. Pistor. l. 2. quest. 4. num. 44. Rittershus. cap. 12. quest. 6. & alii quorum rationes refert & refellit Boc. loc. cit.* Idem procedit etiam si feudum sit Francum, quod licet in hoc à communi feudorum natura degeneret, quod ab omnibus serviitiis liberum sit; in cæteris tamen communibus feudorum regulis subiacet, *arg. 2. F. 48. Vult. cap. 8. num. 94. Godd. disp. 2. §. ult.*

28. Præterea nec per legati viam aliquid de feudo relinquere potest; Imo pater uni ex filiis illud prælegare nequit, *Gail. 2. observat. 116. num. 7. & 2. observ. 154. num. 13. Hattys. annal. feud. cap. 10 pag. 109. lit. L. Fach. 6. consr. 62.* Licet contrarium in Germania alicubi usu observetur teste *Reinck. de regim. secul. l. 1. cl. 4. num. 60. & seqq. relato à Dn. Carpozov. de pact. confer. Saxonico Hassiacæ. §. 4. n. 34* Et quamvis alias maxima piarum causarum & Ecclesiæ sint privilegia *l. 19. de SS. Eccl. ibique Dd.* non tamen valet de feudo dispositio etiam si pro anima & ad pias causas facta sit, *Vult. cap. 9. num. 151.* adeo ut ne unam quidem candelam de feudo relinquere vasallus possit, *ut inquit Ifern. in cap. an. Agnatus vel Filius. num. 7.* Quamvis testamentum auctoritate Principis sit confirmatum, *d. c. 9. num. 169.* Princeps enim ius alteri quaesitum auferre non potest, nisi aut propter utilitatem publicam aut in penam. *Gail. 2. obs. 56. Gret. 2. de l. p. & b. c. 14. num. 7.*

29. Limitanda autem est prædicta regula 1. in feudo merè & absolutè hereditario. *Gail. 2. observat. 154.* Illud enim ut res allodialis habetur. *vide Ros. cap. 7. concl. 6. aliosque citatos Vult. d. c. 9. num. 156. 2.* In feudo quod ita datum est, ut & ipse vasallus & heredes eius quicumque sive quibus ille dederit, illud habeant, *2. F. 48. Bocer. cl. 5. disputat. 18. §. 34. 3.* Si Dominus & agnati quorum interest, consentiant, *arg. 2. F. 39. Rosenth. d. cap. 7. concl. 5. Boc. d. loc. 4.* Denique si consuetudine alicuius loci testamentaria dispositio de feudis permittatur. *arg. l. 32. ff. de ll. Zas. part. 8. n. 2.*

30. Extra hosce casus verissima manet. *i. F. 8.* tradita regula. An autem feudo legato æstimatio eius saltem debeat non



convenit inter Dd. Affirmant hoc *Godd. disput. 8.9. 7. Hunn & Bachov. ad vol. 2. disput. Treatl. 13.9. 5. lit. G. Carpzov. disp. 5. 9. 8.* Contraria tamen sententia verior videtur, cum legatum eiusmodi nihil valeat & inutile sit, *arg. pr. 1. F. 8.* Valeret autem, si eius aestimatio præstanda esset, effectu enim inter rem ipsam & rei æstimationem parum interest, *l. 22. de pet. her.* quæ etiam frequentiori Dd. calculo approbatur, *vid. Gail. 2. observ. 154. num. 13. Fach. 5. cap. 37. Rittersh. cap. 1. quest. 7. Vult. cap. 9. num. 152. Boer. cl. 5. disput. 18.9. 34. in fin. Hæn. 1. disput. iurid. 10.9. 24.*

31. Iam relicta successione testamentaria (quam rectè *Boer. cl. 5. disput. 18.9. 4.* irregularem vocat & extraordinariam) ad legitimam pergamus, quæ Jure Civili novissimo tribus cognoscitur ordinibus. N. 118. *Pref. Descendentium, Ascendentium, & Collateralium.* Ascendentes in feudis regulariter exceptis quibusdam casibus quos infra 8. 78. videbimus, non succedunt. 2. F. 50.

32. Imò ne descendentes quidem olim in feudis succedebant & feudalis successio plane incognita erat. §. 1. I. F. I. Erant enim feuda beneficia quædam personalia, quæ morte personarum extinguiebantur, *l. 3. de cens. l. 109. de R. I.* pendebantque à solo nutu concedentis tanquam precarium, quod pro libitu revocari potest. *l. 1. de prec. aut si revocatum non sit morte accipientis tamen extinguitur. per text. l. 12. §. 1. de prec.* Postea paulatim eo progressum est, ut successio in feudis admitteretur, quæ tamen primis temporibus angustis valde finibus conclusa neminem præter filium admittebat. *d. §. 1. in fin. d. tit. 1. F. 1.* quod à Conrado ad nepotes, §. 2. *d. tit.* & tandem iure novo ad descendentes masculos usque in infinitum productum est. §. 4. *d. t.*

33. Soli ergo descendentes & collaterales respectu ultimi defuncti ita dicti (respectu enim primi acquirentis, hi quoque descendentes appellari possunt, 2. F. 31. *ibi: tum tamen hos constet per masculos ab eo descendisse*) dummodo feudum sit paternum §. 21. F. 8. 2. F. 11. ad successionem feudalem admittuntur. Non tamen omnes indistincte, nec in quovis feudo. Primo enim discernanda hic sunt feuda, quæ incorporalia appellantur, à *Vult. c. 8. num. 24.* sive talia, quæ manent in curte (vox Longobardica pro curia, palatio, prætorio usurpata, *Vult. c. 8. num. 30. Cuiac. 1. F. 1. §. notan-*



643  
§. *notandum*) domini, & dividuntur à Feudistis in personalia, personalissima & temporalia. *Ros. c. 2. concl. 67.*

34. *Personalia* vocant ea, quæ non nisi morte eius, cui concessa sunt, finiuntur, vel quæ ex persona concedentis quidem heredes obligant, ad heredes tamen accipientis non transeunt. *Ros. d. concl. 67. num. 4.* Talia sunt, I. Feudum habitationis, 2. F. 105. II. Feudum de Camera, quando ex domini ærario certum stipendium assignatur vasallo: III. Feudum de Cavena, cum ex cellario sive penuario domini vasallo præbentur annonæ, *Ros. d. cap. 2. concl. 75. num. 4.* qui sibi contrarius videtur, *in concl. 67. cap. eod. num. ult.* ubi feuda de camera & de Cavena inter personalissima refert.

35. *Personalissima* feuda dicuntur à Dd. quæ tam cum persona concedentis quam acquirentis expirant, *Ros. d. concl. 67. n. 5.* ut feudum *soldaria* quod est præstatio quædam annua, gratuita, quæ à neutra parte transit in heredem, sed morte tantum dantis quam accipientis finitur. 2. F. 10. Temporalia feuda sunt, quæ certo tempore plerumque anno expirant, qualia sunt Feuda Guardie, Guastaldie, Advocatie, Cancellarie & similia, de quibus singulatim hic quædam proponere prolixum esset, *Videantur de his Ros. cap. 2. conclus. 68. & seqq. Vult. cap. 8. num. 24. & seqq. & Feudista communiter.*

36. Præterea Feudum Marchie, Ducatus, Comitatus, vel alius cuiuspiam dignitatis olim illi tantum habebant, qui de illis ab Imp. erat investitus, nec heres in illis ullo modo succedebat, nisi per investituram illud acquisierat, 1. F. 14. quod tamen postea contraria consuetudine abrogatum esse, probat. *Constit. Frid. in §. præterea. 2. F. 55.* Vbi hoc ipso quod inter plures coheredes divisionem feudorum regalium prohibet, approbare videtur consuetudinem ut ad unum successorem, v.g. primogenitum devolvantur, *Rittersh. l. 1. cap. 11. q. 1.*

37. Hisce feudorum speciebus exceptis cæteræ omnes transeunt in heredes non tamen quoscunque, sunt enim vel masculi vel feminæ. Masculi rursus sunt vel legitimi vel illegitimi. Legitimi ita dicuntur, vel in sensu exclusivo oppositivè ad cognationem iuris naturalis, quo sensu legitimi sunt Adoptivi, vel in sensu inclusivo & complexivo iuris naturalis, quo sensu legitimi vocantur qui ex iustis nuptiis procreati sunt, qui iterum vel



ab initio tales sunt, vel ex postfacto per legitimationem sc. legitimi sunt effecti. Illi sunt vel primi gradus vel ulterioris, utriusque vel soli sunt, vel cum aliis concurrunt. Illegitimi sunt vel naturales vel spurii, vel ex damnato coitu nati. Hanc descendendum divisionem Consultissimus Dominus *Præses en part. el. p. 3. f. 2. 4. 5. 6. & 7.* proponit; cuius singulas personas in sequentibus breviter examinabimus, quænam scilicet ex illis ad successionem feudi admittantur, & quænam ab ea repellantur.

38. Videamus autem primo loco personas successionis feudalis incapaces, illis enim cognitis simul intelligemus ad quas feudum per successionem pervenire possit. Inter incapaces autem primo occurrit *femina*, quæ in feudo regulariter ex natura & conditione feudorum non succedit, § 3. I. F. I. § 2. I. F. 3. & *pass Vult. cap. 9. num. 27. ibique citati.* Quod licet contrarium sit regulis iuris civilis, quo feminae ad successionem æquè admittuntur ac masculi *l. 4. C. de lib. prat.* Jure tamen feudali eiusque rationibus optimè illud convenit, adeo ut in hoc iuris articulo (sicut in multis aliis teste *Papiniano in l. 9. de stat. hom. vid. Dec. & P. Matth. ad l. 2. de R. I.*) feminarum conditio deterior sit quam masculorum.

39. Cur vero primi feudaliū consuetudinum autores feminas à successionem feudi excluderint, rationes variæ afferuntur à *Dd. Forster. de succes. ab int. 4. c. 32. num. 48.* existimat hoc ex *L. XII. Tab.* descendere, quibus agnati tantum, exclusis cognatis ad successionem vocabantur, *tot. tit. Inst. de legit. patr. tut.* idque tum propter familiæ conservationem; tum ut bona penes eos remanerent, qui reipubl. operam navare possent; Potissimæ huius consuetudinis rationes videntur petendæ. I. à *mulierum imbecillitate*, cum enim feuda ob militaria ferè concedantur servitia feminas ad illa idoneas non esse notissimum est; Virile enim officium est arma gestare, movere, sustinere. *Amplissimus Dominus Præses disp. de aphoplism. c. 4. §. II.* Hinc *Hypermetra* apud *Ovidium*,

*Femina sum & virgo naturâ mitis & armis  
Non faciunt molles ad fera tela manus.  
Quid mihi cum ferro? quid bellica tela puellis?  
Aptior est digitis lana colusque meis.*

II. ab



674  
7  
II. *ab earundem fragilitate.* Requiritur enim à vasallo *x. Fidelitas*, Fæminæ autem plerumque leves sunt;

*varium & mutabile semper.*

*Fæmina*; inquit Poëta,

adeo ut voti lubricitate ter mutetur in hora, *Bocer. cl. 5. disput. 18. 8. 13. 2. fides secreti*, quæ quomodo à fæminis sperari possit, nulli non cognitum est; adeo ut garrulitas muliebris proverbio quoq; notata sit. *Rittersh. l. 1. cap. 14. q. 1.*

40. Repugnat præterea pudori sexus fæminei cœtui virorum se immiscere, virosque comitari, *Carpz. disp. 5. th. 42.* hisce rationibus motos esse primos Feudorum inventores puto ut fæminas à successione feudali excluderent, & licet contingat aliquando, ut fæminæ quædam sint bellicose, prudentes, graves, & taciturnæ (quarum omnium exempla, licet rariora paulò, apud historicos occurrunt) adeoque supradictæ rationes cessent, nihil magis tamen in feudis succedere poterunt, cum legis dispositio tum demum cesset, quando ratio legis cessat *in communi* sive *universaliter* non item quando solum *in particulari* *Bernhard. Suthult. diff. ad Inst. 1. 8. 16.* Præterea illa quæ ἐκ παραλόγου sive ἀπαξῆς accidunt, insuper habeat leges aptantes potius ius ad ea quæ ἐπὶ τὸ πλείον sive frequenter & faciliè eveniunt. *l. 3. cum trib. seqq. ff. de LL.*

41. Adeo autem fæmina à successione feudi arcetur, ut nec masculi ex fæmina exclusi nati ad feudi successionem admittantur. *2. Feud. 11. ibi: ad nepotes ex filia successio feudi non pertinet, vide Forst. 4. de success. ab intest. 23. num. 49. aliosque relatos à Vult. c. 9. num. 30.* Successiones enim non fiunt per saltum, sed servato ordine iuris, ideoque impedimentum, quod obstitit defuncto, obstat etiam eius heredi, qui melioris conditionis esse non debet, quam eius antecessor. *l. 1. de R. I.* Qua ratione à Landgravio Hassiæ Wilhelmum Comitem de Nassavv à successione Comitatus Cagen. Elenbogen exclusum esse testatur. *Hattys. anal. iur. feud. cap. 7. pag. 58.*

42. Idem obtinere puto, licet feudum concessum sit primo acquirenti, ut & ipse & omnes eius descendentes sive heredes illud habeant, arg. *1. Feud. 13. vers. si clientulus. Bocer. tr. de iur. succed. in feud. cap. 3. quest. 39. & cl. 5. disput. 18. th. 13. lit. C. Gædd. disp. 7. thes. 10. l. 5. E.*



lit. E. Dissent. Schrader. part. 7. cap. 3. num. 1. Gail. 2. observ. 54. num. 9. Fach. 7. controv. 6. Et Dd. comm. teste Vult. d. c. 9. num. 35. Præterea nec admittentur ad feudi successionem fæminæ, quamvis sit feudum emptum, vel ligium. Gædd. disput. 7. th. 10. lit. C. Vult. d. c. 9. num. 49. 50. & 51. Atem Francum Gothof. Anton. disput. 6. th. 1. lit. E. Dissent. variè Dd. quorum argumentis, cum ea hic recensere prolixum esset, in ipso discursu respondere conabor.

43. Interdum tamen fæminæ ad feudi successionem admittuntur, idque ob triplicem potissimum causam, 1. ob feudi qualitatem & conditionem, ut si feudum sit fæmineum, 2. feud. 30. & 50. sive eius conditionis ut ad fæminas transeat, 2. F. 11. quo casu fæmina ex qualitate ipsius feudi succedit, non ex pacto speciali ut perperam quidem existimant, contra text. express. in d. tit. 30. lib. 2. feud. vide Vult. d. cap. 9. num. 46.

44. Secundo succedit fæmina ex pacto speciali 2. F. 50. quando sc. in prima investitura expressè conventum est, ut feudum ad filias quoq; pertineat §. 3. l. F. 1. pactum enim hoc cum licitum sit, nec bonis moribus contrarium omnino servandum est. l. 7. §. 3. de pact. Accuratè autem hoc casu observanda sunt verba pacti an universalis sint, an particularia, priori enim casu omnes fæminæ ex primo acquirente descendentes ordine legitimo servato succedunt, posteriori vero ultra expressas nulla aliarum habetur ratio Vult. d. cap. 9. num. 61.

45. Si ergo una ex pluribus filiis nominatim ad feudum vocata sit, dubium nullum est, quin illa sola cæteris exclusis admittenda sit; At indeterminatè unâ ex filiis vocatâ, quænam ad successionem feudi admitti debeat, quæritur? Primogenitam admittendam censet. Schneidevv. part. 6. n. 53. in fin. Alii patri optionem concedendam, aut si pater eligere non possit aut velit forte rem dirimendam esse statuunt Zaf. part. 8. num. 65. quem sequitur Gædd. disput. 7. th. 11. Forster. omnes pariter filias hoc casu admittendas esse arg. l. 1. C. si plures unâ existimat, cuius sententiam tanquam pacto minimè convenientem rectè reiicit. Gædd. d. thes. 11. lit. C. Alii eam succedere existimant quam Dominus elegerit Goth. Anton. disput. 6. th. 3. Dn. Carpozov. disput. feud. 5. th. 48. quæ sententiæ probabilis videtur, arg. 2. F. 12. ibi: ne forte invitus Dominus. & c.

46. De-



045 7.

46. Denique feudum ad feminas per successionem per-  
venit, si hoc ferat statutum, vel consuetudo regionis, vel curiæ  
Domini modo hæc legitime inducta & probata sit, quod quomo-  
do fieri debeat docet *Rosenth. cap. 7. concl. 4.* talem consuetudi-  
nem in *Gallia* receptam esse testatur, *Duaren. cap. 10* & de regno  
*Siciliae & Suevia* affirmat *Zisp. part. 8 n. 42*. Eandem obtinere in feu-  
dis Ecclesiasticis, quæ à curvo baculo dependere dicuntur, vulgo  
*Krumbstabische* oder *von Krummen Stab herzubrende* debent asserunt  
*Dd. comm. Rittersh. cap. 14. quest. 8. vers. nono. Gædd. disput. 7. th.*  
*11. lit. D.* Eo quod Ecclesia à Deo defensa armis non egeat, imo la-  
chrymæ potius & preces eius sint arma, quæ feminis magis con-  
gruant, quam masculis *Cacher. decis. 27. num. 15. & 17. aliq. citati*  
*a Rosenth. cap. 7. concl. 31. lit. T. in fin.*

47. Vulgare quoque proverbium, quo dicitur à *curvo ba-*  
*culo neminem excludi*: *Krumbstab schleußt Niemand auß*: hanc  
confirmare videtur sententiam, quæ tamen cum neque textu feu-  
dali neque sufficienti ratione nitatur, veriusputo feminam nec  
in Ecclesiastico feudo admitti, nisi specialis quædam Episcopatus,  
vel regionis consuetudo sit, *Vult. cap. 9 num. 64.* proverbium verò  
supradictum inde natum esse, quod personæ Ecclesiasticæ faci-  
lius feminas admittant, quam seculares sive quod in multis Epi-  
scopatibus, Abbatibus & Prælaturis Germaniæ & Italiæ hæc con-  
suetudo invaluerit, non improbabiler putat *Rosenth. d. cap. 7.*  
*conclus. 31. num. 7.*

48. Licet autem prædictis casibus feudum ad feminas  
quoque pertineat, non aliter tamen hoc accipiendum est, quam si  
omnes masculi ex primo acquirente descendentes etiam gradu  
feminis remotiores defecerint 1. *Feud. 6. §. 1. & 8. §. 2. 2. Feud. 17.*  
*Vult. d. cap. c. 9. num. 66. Goth. Ant. disput. feud. 6. th. 5. & FF. comm.*  
nisi hoc pacto facta sit investitura ut feminæ ad successionem  
feudi cum masculis simul & æqualiter, vel tam masculi quam fæ-  
minæ admittantur *arg. l. fin. §. 1. C. de app. l. fin. C. de donat. Rosent.*  
*concl. 40. in fin. cap. 7. Hartman. Pistor. l. 2. quest. 35.* plures casus  
quando femina simul cum masculis succedat *V. ap. Rosenth. d. c. 7.*  
*concl. 42. Vult. d. c. 9. num. 80. & seqq.*

49. An verò femina semel exclusâ masculino semper exclusâ  
maneat, ita ut post defuncti mortem ad feudum amplius adspirare  
nequeat

C

nequeat



nequeat intricata quaestio est. *Affirm. tenent Rosenth. d. c. 7. concl. 44. Fach. 7. contr. 45. Bocer. cl. 5. disput. 18. th. 16. & Dd. comm. per text. I. F. 6. §. 1. ibi: relicto masculino ulterius femina non admittuntur. Negativam tuentur Wesemb. de feud. c. 6. n. 23. & Vult. d. cap. 9. n. 89. quam veriore probat certissima iuris feudalis regula, quæ deficientibus masculis, in feudis quæ ad fæminas pervenire possunt, fæminis succedendi locum facit, 2. F. 17. vid. Vult. loc. cit. ubi eleganter de hac controversia disserit & contraria Dd argumenta solvit: Hartman. Pistor. l. 2. quaest. 35.*

50. Successione semel itidē ad fæminam delata licet postea masculus superveniat feudum eidem non auferetur: licet enim fæmina per masculum etiam gradu remotiori à feudo acquirendo repellatur, non tamen repellitur ab acquisito, cum hoc casu fæminæ ius reale iam quæsitum sit, quod ei invitæ sine eius facto auferri non debet. *l. 11. de R. I. Hart. Pistor. 2. quaest. 35. num. 8. Vult. d. c. 9. num. 79.* Facit, quod res perfecta & consummata subsistat; licet in eum casum pervenerit, à quo incipere non potest. *Tiraq. ad reg. cessante causa limit. 12. Gail. 2. observ. 142. n. 5.*

51. Porro præter fæminas à successione feudali removen-  
tur *illegitimi* quos in triplici esse differentia *supr. th. 35.* dictum est, sunt enim vel ex damnato coitu nati vel spurii vel naturales, illi ab omni omnino successione tam feudali quam allodiali removen-  
ventur, adeo ut de iure civili ne alimenta quidem à parentibus suis petere possint, *Nov. 89. c. ult. Auth. ex complexu. C. de incest. nupt. quem iuris rigorem Canones tamen mitigarunt, C. cum. habent X. de eo qui Dux in uxor.* quod tanquam iuri naturæ conveniens laudat *Grot. 2. de iur. bell. & pac. cap. 7. num. 4.*

52. De spuris seu vulgò quæsitis liberis an patri succedant inepta est quaestio, cum nullum patrem habere intelligantur *l. 4. vnd. cogn. paria enim sunt non esse & non apparere l. 30. de test. tut.* Illos tamen qui cum matre consueverunt tantum in publicum conferre, unde miseræ & innocenti proli succuratur æquum est, *Coll. I. A l. 38. tit. 6. th. 22.* Ad matris successione de iure civili admittuntur, *l. 1. §. 2. ad S. Tertull.* etiamsi mater sit illustris, *l. penult. C. ad S. Orfician.* dummodo alios iustos liberos non habeat, hi enim iniustos excluderent, *v. C. I. A. loc. cit.* De iure feudali non succedunt *arg. §. naturales 2. F. 26.* quò & naturales succedere prohiben-



hibentur, d. § naturales, ne scilicet præiudicium fiat tam agnatis  
quibus liberis legitimis deficientibus feudum debetur 2. F. 1. §. 2.  
2. F. 11. tum Domino ad quem legitimis heredibus non extan-  
tibus devolvitur feudum d. c. 11. F. 2. & 1. F. 13. §. et si clientulus. C. 1. A.  
l. 32. tit. 6. th. 21. Licet etiam illi de iure civili succedant, matri qui-  
dem perinde ut legitimi d. l. penul. ad SC. Orfit patri verò aliis  
legitimis non extantibus in duas uncias cum matre concubina  
dividendas. d. Novell. 39. c. 12.

§ 3. Hæc de liberis illegitimis. Ex legitimis præterea in  
feudis non succedunt, qui oppositivè ad cognitionem iuris natu-  
ralis ita dicuntur, quales sunt adoptivi, qui licet de iure civili ad  
successionem patris legitimam admittantur, l. 2. C. de adopt. perin-  
de ut legitime nati. l. 5. C. de suis & legitim. De iure tamen feudali  
illos non succedere præter text. disert. in §. adoptivi 2. F. 26. probat  
hæc ratio, quod nemo ad successionem feudi admittatur, quam  
si ex sanguine primi acquirentis descendat 2. F. 31. adoptio autem  
ius sanguinis non adfert. l. 23. de adopt. Cum imitatrix saltem na-  
tura sit nec adoptivi veri liberi sint, sed adscititii saltè & comen-  
titii. l. 76. de cond. & demonstr. Accedit quod concessa adopti-  
vorum successione maximè tam Domino, quam agnatis præiu-  
dicaretur, quippe qui per hosce factitios liberos iure suo priva-  
rentur. Wesemb. cap. 6. num. 13. C. 1. A. l. 38. tit. 6. th. 20 in fin.

§ 4. Limitari autem hoc debet, primò nisi consuetudine  
loci receptum sit aut. 2. in investitura expressè convenerit, ut non  
minus adoptivi quam ex iustis nuptiis procreati succedant We-  
semb. d. num. 13. 3. Denique nisi Principis autoritate consentien-  
te feudi Domino ea lege quis adrogatus fuerit ut nullis extanti-  
bus agnatis arrogatoris in feudum eidem succedat Schenk. ad. d.  
§ adoptivos per l. 7. C. de prec. Imp. offer. Boc. cl. 5. disput. 18. th. 6.  
Vult. cap. 9. num. 177.

§ 5. Legitimos liberos supr. th. 35. dixi esse vel ab initio ta-  
les, vel ex postfacto per legitimationem tales effectos, quod de iure  
civili tribus modis sit 1. per oblationem curia, quando pater fi-  
lium naturalem curia offert & muneribus municipalibus man-  
cipat, quæ olim gravia satis de curionibus incumbebant. l. 3 & 4.  
C. de nat. lib. 2. per rescriptum Principis, quando non extantibus  
aliis liberis & ubi concubina in uxorem ex certis & legitimis cau-  
sis





350  
fis duci nequit, Princeps liberos naturales naturæ & antiquæ ingenuitati & iuri legitimo restituit ut loquitur *Imp. in Nov. 98. c. 9. 3. per subsequens matrimonium*, quando pater naturalis, dotalibus instrumentis intervenientibus, eam cum qua consuetudinem antea habuit, & cuius matrimonium LL. interdictum non est uxorem ducit. Addunt nonnulli quartum legitimandi modum si pater aliquem ex concubina natum in instrumento appellet filium suum de qua *Nov. 117. c. 2.* quæ tamen appellatio revera & per se legitimatio non est, sed facit saltem præsumptionem pro matrimonio quod plerumq; illo tempore privatim solo affectu contraheretur. *Bach. ad § ult. l. de nupt.* Per adoptionem quoq; olim contingebat legitimatio *l. 6. C. de nat. lib. quem effectum Justinian. ei ademit l. 7. C. eod.*

56. Legitimationis per oblationem curiæ hodiè nullus aut valde exiguus est usus, *C. 1. A. l. 38. tit. 6 th. 26.* & licet ita legitimati de iure civili legitimis nihil dissimiles sint, adeoque patri ab intestato succedant, *Novell. 89. cap. 3.* non verò cæteris cognatis. *d. Novell. cap. 4.* De iure feudali tamen indistinctè à successione illos removendos esse censeo, sive feudum ante legitimacionem, sive post eam à patre acquisitum sit, præterquam enim quod ita legitimatus agnationis ius non consequitur, *d. Novell. 89. cap. 4.* quod in feudis omnino attenditur, Domino debita servitia propter plurima eaque gravissima curiæ munera exhibere & tempore necessitatis in bello ipsi adesse non potest, præsertim cum & militia illis interdicta sit. *l. 51. C. de decurionib.*

57. Per rescriptum Principis legitimati de iure communi non tantum patri, sed aliis etiam succedunt *d. Novell. 74. cap. 2. d. Novell. 89. cap. 9.* ad successionem feudalem verò non admittuntur, nisi nominatim à Principe ad feuda legitimati sunt, *Wesemb. cap. 6.* Quod si fiat Domino agnatisque quorum interest consentientibus nullam omnino patitur dubitationem. An autem Princeps ex plenitudine potestatis in præiudicium agnatorum aliquem ad feudi successionem legitimare possit quaeritur? In feudo novo res dubio caret, in quo alias nec agnati succedunt. *§. ff. n. 1. F. 14.* Dubitatio maior est in feudo antiquo in quo pacto primi acquirentis agnatis ius succedendi quaesitum est. Decisionem huius quaestionis Gail. rectè ait, pendere ex eo, an Princeps ius quaesitum alteri auferre possit? quod illum interveniente publica utilitate ex plenitudine potestatis posse *supr. th. 28.*



ex Grot. dixi. Ideoque omnino affirmativè ad hanc quæstionem respondendum videtur, præsertim cum agnatis hoc casu non præiudicetur *principaliter*, sed *per consequentiam* saltem, quia ius succedendi ad eos tantum pertinet in spe non in re, unde facilius hoc quoque illis auferri potest, *arg. l. 5. de cond. & demonst. vid. eleganter Gail. 2. observ. 124. à n. 12. usque ad n. 17. C. I. A. d. tit. 6. th. 25. Dissent. Gædd. disput. 7. th. 4.*

58. Legitimos per subsequens matrimonium quod atinet de iure communi illos succedere dubium non est. De iure quoque Feudali illos succedere communis Interpp. est opinio, *Gail. 2. observ. 141. num. 2. Borch. cap. 7. num. 41. Hartmann. Pistor. l. 2. quæst. 41. num. 1. & c.* quod ea vis sit matrimonii, ut qui antea sunt geniti post contractum matrimonium legitimi habeantur, *ut inquit Pontifex in cap. tanta 6. X. qui fil. sint legit.* Et hoc obtinere etiam si feudum acceptum esset, pro se & ex legitimo matrimonio natis statuit *Fach. 7. cont. 51. in fin.* Hanc quoque sententiam quotidie praticari & sententiis confirmari testatur, *Schurf. cent. 1. conf. 1. n. 16. eamque in Camera observari asserit Mynsing. 5. observ. 42. & ab ea respondendo vel iudicando recedendum non esse putat. Vult. cap. 9. num. 194. vers. atque hæc.*

59. Veritati tamen theoricæ iurique & rationi feudali magis consentanea est contraria sententia propter *text. express. in §. naturales 2. F. 26.* ubi legitimi planè à successione feudali arcentur, qui textus, cum indistinctè loquatur, nullumque inter modos legitimi mandandi discrimen faciat, generaliter quoque accipiendus est *vid. Sutholt. diss. ad inst. 1. th. 9.* Præterea Domino & paribus curiæ parum honestum est habere in suo consortio natalium maculam notatos, quæ per legitimationem tolli fingitur potius, quam revera tollitur, cum factum infectum amplius fieri non possit. *Bachov ad §. ult. I. de nupt. num. 6.* Et quamvis natalium vulnus consolidetur tamen remanet cicatrix, *ut ex Bald. inquit Vult. d. cap. 9. num. 183. Idem Bald. in l. 4. pr. de lib. & posthum.* legitimationem assimilat *alchimia*, quæ facit apparere quod non est, & legitimos comparat homini medicato à morbo, in quo semper aliqua morbi pristini vestigia remanent.

60. Nec obstat huic sententiæ *d. c. tanta X. qui fil. sint legit.* nec enim sequitur legitimi per subsequens matrimonium habentur





243  
hentur pro legitimis. Ergo in feudis quoque succedunt : Nec  
præterea eam infringunt argumenta ex iure civili, petita, quibus  
legitimos legitimis per omnia similes quoad effectus iuris haberi  
probatum itur ; Cum enim iure feudali contrarium expressè  
constitutum sit, d. §. naturales, legum Romanarum hoc casu tanta  
autoritas esse nequit. ut usum vincant aut mores 2 F. 1. quem text.  
à Borcholt. cap. 7. num. 48. pro contraria sententia citari non sine  
causa miratur Vult. d. c. 9. num. 195. vers. meminisse, quod tamen quoque  
facit Bocer. cl. 5. disput. 18. th. 7. lit. D. & Hattys. cap. 7. pag. 48. Porro  
legitimos per subsequens matrimonium in feudis non succedere  
præter dict. text. in cap. naturales & allatas rationes autoritate  
sua confirmant. Franc. Sonsbec. part. 9. n. 72. Hottomann. in d. §.  
naturales & cons. 10. vol. 1. Rittersh. c. 13. q. 3. Vult. c. 9. n. 195. Gædd. disp.  
7. th. 3. Dn. Carpz. disput. 5. th. 34.

61. Post legitimos sequitur videamus de legitimis, qui  
regulariter in feudis succedunt; nisi pactio quædam aut aliud im-  
pedimentum illis obstet. Pactio repelluntur à successione feudi  
filii nati ex matrimonio ad Morganaticam contracto, quando  
scilicet vasallus cui ex priori matrimonio adhuc filii supersunt ad  
secunda vota, ea lege, transit, ne filii ex eo matrimonio nati in feudo  
succedant, contenti Morganatica (quod ex Germanico Morgen-  
gabe depravatum est vocabulum, quasi dicas donum matutinum, quod  
scil. maritus post primam noctem dat novæ nuptæ Rittersh. cap. 11 q. 3.)  
2. F. 29 & 26. §. filii, quo loco legendum est (in feudo non succedunt)  
Cuiac. Hottomann. aliique ad illum text.

62. Præterea ex legitimis ad feudi successionem non admittuntur,  
qui debita servitia Domino præstare nequeunt: qualis est 1. Clericus,  
qui seculo renunciando arma bellica deposuit, habitumque religiosum  
adsumpsit 2. F. 21. 26. §. qui clericus & 30. in fin. qui cum fiat miles Christi,  
desinit esse miles seculi Can. placuit 21. quest 3. proindeque non  
pertinebit ad eum beneficium, cum non possit præstare officium,  
d. t. 21 F. 2. (secus est de iure civili, l. 56. §. 1. de Episc. & Cleric. C. I. A. lib. 38. tit. 6. th. 19.)  
licet post delatam successionem habitum Clericalem deponere velit.  
d. tit. 30. F. 2. & arg tit. 106. F. 2. Convenit hoc iuri Saxonico  
in cap. 2. Lehnrecht & art. 25. l. 1. spec. Sax. cuius verba refert  
Dn. Carpzov. disput. feud. 5. th. 61.

Nec



63. Nec discrimen hoc casu est faciendum inter Clericos communes aut in dignitate aliqua constitutos, utpote Cardinales, Episcopos &c. cum enim hi nullibi in iure feudali privilegiati reperiantur, nulla est ratio, cur non sub regula manere debeant. *Vult. cap. 9. num. 130. Rosent. cap. 7. conc. 29. num. 10. Got. Ant. disput. feud. 6. th. 9.* Nec admittuntur Clerici etiam si per substitutum servitia præstare parati sint. *Hartmann. Pistor. lib. 2. quest. 35. num. 3. Fachin. 7. contr. 35.* Quod idem de sacrorum ordinum equitibus ut S. Johannis S. crucis &c. affirmandum videtur. *Vult. d. c. 9. num. 132. Fach. 7. contr. 36. Dn. Carpz. disp. 5. th. 65. Dissent. Goth. Ant. disp. 6. th. 9. lit. G. Rittersh. p. feud. l. 1. c. 15. q. 24.*

64. Sunt tamen casus quibus nec Clerici à feudorum successione arcentur, veluti si in constitutione feudi cautum sit, ut Clericus quoque succedat, aut si feudum sit francum, vel servitia quæ inde præstanda, talia, ut honestè & commodè per Clericum ipsum vel per substitutum expediri possint, aut consuetudo loci vel regionis ita ferat, ut Clericus quoque feudum acquirere possit, has & alias quæ ad Dd. afferuntur limitationes latius examinare iam non licet, videantur interim *Vult. d. c. 9. n. 135. & seqq. Rosent. cap. 7. conc. 30. aliq. Feudista.*

65. *Secundò* servitia Domino præstare nequeunt, eoque à feudorum successione repelluntur, *imperfecti* sive tales sine corpore, ut cæci, muti, claudi & in genere tali morbo vitiove corporis laborantes, quod eos ad servitium Domino exhibendum inhabiles facit, sive *animo*, ut furiosi & mente capti, *1. F. 6. 2. F. 36* si tamen ita nati sine, non verò si ex accidenti, per casum fortuitum tales facti, *arg. d. tit. 36 lib. 2. F. Bocer. cl. 5. d. 18. th. 11. Goth. Anton. disput. feud. 6. th. 10. Rosent. cap. 7. concl. 28. num. 9. Diss. post. Vult. c. 9. n. 19 Dn. Carpz. disp. feud. 5. th. ult.*

66. Enumeratae sunt hæctenus personæ, quæ in feudum succedere prohibentur, quibus exceptis cæteri descendentes indistinctè ad successionem feudalem admittuntur nulla habita ratione aut potestatis aut dispositionis patriæ Emancipatos enim & præteritos quin & exheredatos non minus, quam in patria potestate constitutos testamentoque institutos succedere verius est. De emancipatis & præteritis hoc omnes facilè largiuntur, de exheredatis verò ob iustam causam inter Interpp. non convenit, de quibus



quibus tamen idem dicendum esse generalis feudorum regula  
suadet, quæ ordinationem defuncti in feudis nullum habere esse.  
Etum pronuntiat. 1. F. 18. Diff. Rittersb. p. feud. l. 1. c. 15. q. 5

67. Sunt autem descendentes vel primi vel ulterioris gra-  
dus. Vtrique vel soli extant, vel cum aliis concurrunt. Descen-  
dentes primi gradus ubi soli extant succedunt de iure civili æqua-  
liter in capita *l. inter filios* *ii C. fam. hercisc. N. 118. c. 3 in fin.* eum om-  
nes veniant suo iure & ex propria persona *Sutholt diss. 11. th. 47.*  
nisi à parente in portionibus inæqualibus instituti sint. *l. 8. pr. C. de*  
*inoff. donationib.* Ad successionem feudalem itidem æqualiter ad-  
mittuntur feudumque viritim dividunt, secundum numerum  
personarum, ita ut tot fiant partes, quot personæ sive capita, *1. F. 1.*  
*§. 1. in fin. & c. 8. pr.* nisi ius primogenituræ alicubi consuetudine  
introducitur sit, quod communi omnium gentium usurpatione  
niti gravissimisque rationibus fulciri testantur *Politici & Icti pas-*  
*sim vid. Traquell. tr. de iur. primog. Gail. 2. observ. 53. Tholos. 7. de Re-*  
*publ. cap. 5. Suth diss. 11. th. 45.* Idque in Gallia receptum esse asserit.  
*Cuiac. ad l. 2. F. tit. 11.* Idemque de Anglia affirmat *Rittersb. l. 1.*  
*cap. 15. quest. 9.*

68. Præterea descendentes feudum dividere non licet,  
si sit regale, ut Ducatus, Marchiæ, Comitatus &c. hoc enim ex-  
pressè vetuit *Frid. in c. Imperialem 2. F. 55.* Quamvis ab utilissima  
illa sanctione per consuetudinem Germaniæ fuerit recessum,  
*Wesemb. conf. 41. num. 16. Carpzov. ad L. Reg. cap. 7. sect. 1. num. 4. &*  
*seqq.* non sine iacturâ familiarum illustrium, quarum plurimæ ex-  
crebrâ totiesque repetita bonorum divisione, si non planè inter-  
ciderunt, saltem ita attenuatæ sunt, ut pro dignitate statum suum  
tueri amplius non possint. *vide Gail. 2. observ. 153.* In Electoribus  
tamen ex Constit. *Caroli IV. in A. B. cap. 25.* adhuc observatur, ut  
illos dividere non liceat, sed solus primogenitus illoque deficien-  
te primogeniti primogenitus in illis succedat. *A. B. cap. 7. §. sta-*  
*tuimus.* Adeo ut nec pater testamento suo aliud disponere iusq;  
successionis primogenito auferre possit, *Carpzov. quest. ad A. B.*  
*4. post disp. feud. 4.* quæ enim ad dignitatem imperii utilitatemq;  
publicam constituta sunt, immutari non debent *Can. que ad per-*  
*petuam 25. quest. 5.*

69. An



69. An verò ubi ius primogenituræ receptum est, is qui ante adeptam dignitatem natus, tanquam primogenitus præferatur ei, qui patri in dignitate constituto procreatus est, tam literis quam armis agitata quæstio est? Quam tamen affirmativè tam Jcti quam Politici plerumque decidere non dubitant, & ita in successione regnorum communi usu gentium obtinuisse testantur Historici, de Perside vid. Iust. l. 2. In Germania quoque Henrico Aucupi successit Otto I. excluso fratre Henrico, qui tamen eo quod imperium ad se spectare putaret, fratri bellum movit Abbas Stadens circa annum 935. Idem in Electoratu Saxonie observatum fuisse testis est Dn. Carpzov. d. q. 4. post disput. feud. 4. Plura de hac quæstione vid. apud Tholos. 7. de Republ. c. 9. Bodin. l. 6. de Republ. c. 5. Tiraq. de iur. prim. q. 31. Rittersh. c. 15. q. 12. Dn. D. Beck. synops. iur. publ. l. 3. c. 7. num. 4. Dn. Carpz. d. quæst. 4. H. Grot. 2. de iur. bell. & pac. c. 7. n. 28. & in not. ibid. Facit optimè text. in l. 5. de Senat.

70. Nec minus difficilis est intricataque quæstio, an nepos ex filio priori, filio posteriori sit præferendus? Posteriores filium in successione potiores esse statuit, Cuiac. ad t. 11. F. 2. eumque secutus Hattys. anal. iur. feud. c. 7. pag. mihi 57. Contraria tamen sententia tanquam verior communiter à Jctis & Politicis recepta est. Rosenth. d. concl. 26 num. 13. Schrad. tr. feud. p. 7. c. 5. n. 15. Bocer. cl. 5. disput. 8. th. 20. & tr. de iure succedendi in feud. cap. 3. q. 48. Tholos. 7. de Rep. c. 10. Grot. 2. de iur. bell. & pac. c. 7. n. 30.

71. Descendentibus primi gradus non extantibus olim feudum ad Dominum revertebatur, donec Imp. Conradus lege promulgata constitueret, ut nepotes quoque in feudo succederent, quod posterioribus temporibus usque ad septimum gradum & tandem ita productum est, ut descendentes in infinitum succederent, I. F. l. §. 1. 2. & 4. ita tamen ut nepotes loco sui patris I. F. 8. pr. adeoque iure repræsentationis in stirpes succedant. Quod congruit quoque iuri civili, vid. l. 2. C. de suis & legit. C. I. A. lib. 38. tit. 6. n. 29. in fin. cum heredes non debeant habere plus commodi quam defunctus habuit, & iniquum esset aliquem plus ferre quam autorem suum Ampliss. Dn. Præses part. elem. p. 3. sect. 2. n. 11.

72. Si vero liberi primi gradus cum ulterioribus descendentibus v. g. filii cum nepotibus concurrant, tum hi cum illis admittuntur iure repræsentationis tantumque accipiunt quan-

D

cum





rum illorum pater, cuius personam repræsentant, habiturus fuisset, 1. F. 14 §. 1. 2. F. 11. adeoque hoc casu etiam fit successio in stirpes, cui semper locus est, quando cum proximioribus concurrunt remotiores, qui ab illis excluderentur, nisi parentis sui locum ingrederentur eiusque iure uterentur. *Suth. diff. 11. th. 47.*

73. Et hæc de successione descendentium. Dispicendum nunc paucis de successione *collateralium*, sive eorum, qui ex latere veniunt, circa quos notandum, quod *supr. th. 33.* dictum est, accuratè loquendo *nullam esse in feudis collateralium successionem*, sed saltem eorum, qui sunt in linea recta, & ex primo acquirente descendunt, quod in feudo novo manifestum est, in quo frater fratri non succedit, 2. F. 11. etiam si simul fuerint investiti, 2. F. 12. 1. F. 14 §. 2. nisi pactum fuerit in investitura ut frater fratri succedat, tunc enim frater succedit non Dominus, *d. tit. 14. 1. F. Gail. 2. obs. 157* quod pactum cum iuri communi feudorum contrarium sit strictè accipiendum est *l. 14. de LL.* adeoque mortuo fratre, nec eius filium admittendum esse puto. *Schrad. de feud. p. 7. c. 7. n. 3.* 2. Succedit frater si beneficium de communibus bonis emptum, sive communibus armis acquisitum fuerit, *d. tit. 20. lib. 1. F.* aut si consuetudo vel statutum alicuius loci ita ferat, *Schrad. d. p. c. 7. n. 5.* aut deniq; si feudum novum concedatur iure feudi antiqui *Rittersh. c. 19. lib. 1. q. 2. Fach. 7. contr. c. 58.*

74. In feudo paterno sive antiquo nulli quoque succedunt, agnati nisi à primo acquirente descendant 2. F. c. 11. *Vult. c. 9. n. 108. Rittersh. c. 16. q. 4.* Cum tamen posterius primi acquirentis in varias lineas poterunt esse dispersi, ideoque deficiente una linea cæteri habito respectu ad vasallum sine liberis ultimo defunctum non ex recta sed collateralia linea venire censentur.

75. Notandum præterea omne impedimentum quod descendentes successionis feudalis incapaces reddit, undecunque illud oriatur, sive à nativitate sive sexu sive conditione, defectuve aliquo corporis vel animi; etiam obstare venientibus ex linea collateralia, quo minus succedant, cum descendentium successio omni alià sit favorabilior, ut quos ad hereditatem vocat & naturæ & parentum commune votum. *l. 7. de bon. damnat. Rittersh. p. 6. Novell. c. 9. n. 10.* De iure Saxonico deficiente una linea agnati ex alia in feudo non succedunt, licet à primo acquirente descendant,



dant, nisi sint simultaneè investiti *Lehenrechte* / c. 32. *Hartman. Pift.*  
l. 2. q. 19. n. 57. & seqq. *Gail. 2. obs. 151. n. 5.*

76. Ex collateralibus ergo primum locum in feudi successione sibi vendicant fratres, qui sunt vel *unilateres* vel *ambilateres* (liceat uti his terminis cum *Ampliss. Dn. Præsidi in par elem. part. 3. sect. 2. th. 16. & 21.*) Illi sunt vel consanguinei, qui ab eodem patre, vel uterini, qui ab eadem matre originem ducunt, utriusque vel soli extant, vel cum aliis concurrunt. Removendi autem primo hinc sunt fratres uterini, quorum in successione feudi nulla habetur ratio cum tantum cognati sint, ad quos neque beneficium neque beneficii successio pertinet. 2. F. 11.

77. Consanguinei si cum ambilateralibus (quos vulgo *Germanos* vocant) concurrant, de iure civili ab illis excluduntur. *Nov. 84. c. 1.* Ratio est, quod qui duplici iure utantur, merito præferuntur eis, qui uno tantum uti possunt, *d. c. 1. in fin. & duo vincula fortius ligant, quam unum § sed hodie l. de adopt. adeo ut fratris Germani præmortui filius excludat superstitis fratres consanguineos, licet ille in tertio hi verò in secundo gradu sint. Sub. diff. 1. th. 70.* De iure feudali verò simul succedunt, *Gail. 2. obs. 151. cum vinculum ex parte matris h. cas non attendatur, Hattys. anal. iur. F. c. 7. p. 54.* adeo ut filius fratris consanguinei iure representationis admittatur unà cum fratre ex utroque latere coniuncto *Hartm. Pistor. 2. quest. 41.*

78. Quod si cum fratribus concurrant præmortuorum fratrum liberi, hi una cum illis ad successionem feudi admittuntur facta divisione in stirpes 2. F. 2. defunctorumque parentum portionem accipiunt, cuius personam representant *arg. Nov. 118. cap. 3.* Quod ius representationis tamen ultra fratrum filios non extenditur *Nov. 118. cap. 3.* habetque locum non tantum in feudo hereditario ut vult *Bart. in auth. post fratris C. de legit. hered.* sed etiam in feudo ex pacto & providentia *arg. 2. F. 11. Vult cap. 9. n. 224. Kittersh. part. feud. l. 1. c. 16. quest. 6.*

79. An verò fratribus nullis extantibus succedant fratrum liberi *in capita* an *in stirpes* intricata est quaestio. De iure civili verior videtur eorum sententia qui successionem in capita hoc casu locum sibi vendicare asserunt per text. express. *in l. 2 §. 1. de suis & legit. cum omnes suo iure & ex sua quisque persona ve-*



niant. Nec enim hereditas inter æquales gradu inæqualiter est dividenda, nec representatio ultra terminos expressos extendenda *Ampliss. Dn. Præses. d. p. 3. sect. 2. th. 22. in 2nd.* quæ sententia olim probata Azoni à Carolo V. in Comitibus Spirensibus Anno 1529. confirmata est. *Diss. gloss. in l. 14. C. de legit. hered. Franc. Sonsbec. p. 9. n. 100.* aliiq; quorū argumenta refutantur à *Rittersh. d. c. 16. q. 13. & Hattys anal. iur. F. c. 7. p. 60.* De iure feudali cum nihil expressè de hoc casu cautum sit, merito ius civile sequimur 2. *F. 1. v. Schrad. p. 7. c. 7. n. 16. Fach. 6. contr. 3. Vult. c. 9. n. 126 Bocer. cl. 5. d. 18. th. 29. & Feudist. comm.*

80. Post fratres fratrumque liberos ceteri agnati succedunt, ita tamen ut à primo acquirente descendant & à proximioribus semper excludantur remotiores. nec videtur propter textus in *tit. 26. l. 2. F. §. si vasallus t. 8. l. 1. F.* ad quartum vel septimum gradum in casu quando feudum novum ex pacto in collaterales transit, hoc esse restringendum cum *Gail. 2. observat. 1. & Mynsing. 2. obs. 95.* quos sequitur *Anth. Goth. disp. feud. §. th. 7. lit. I.* sed agnatos in infinitū usq; admittendos esse puto, cum *Hartm. Pistor. l. 2. q. 19. Fach. 7. contr. 27. Rittersh. c. 16. l. 1. q. 17.* Computationē graduum verò quod attinet, eam non secundum ius Canonicum sed civile faciendam esse statuo per *tit. 37. l. 2. F. & 1. F. 1. §. hoc quoq; quam sententiam usu corroboratam & in Camera Imp observatam testis est Rosent. c. 7. concl. 57. n. 9. Vult. c. 9. n. 236. Diss. post Hotzom. disp. feud. c. 19. Hart. Pist. l. 2. q. 19. n. 7. quæ sequitur Fach. 7. cont. 26*

81. Exposita hucusque successione descendentiū & collateralium, dispiciamus porro de *ascendentibus*, quorum de iure civili proxima quidem causa est post descendentes *Nov. 118. c. 2.* de iure feudali verò regulariter non succedunt, 2. *F. 50.* cum enim successio in feudis primæ eorum naturæ contraria sit, adeo ut olim ne filii quidem in beneficio succederent, 1. *F. 1. §. & quia*, illa quam strictissimè est interpretanda, nec ad adscendentes extendenda, ut qui, turbato mortalitatis ordine, potius ex commiseratione quadam quam ex suo voto succedunt. *l. 15. de inoff. test.* Accedit quod quisque censeatur prospicere sibi & posteris suis *Cuiac. lib. 1. F. tit. De feudo novo* hoc omnes facillè largiuntur, de antiquo non item, *v. Rosent. c. 7. concl. 14. n. 9.* de quo tamen idem affirmare propter generalitatem regulæ 2. *F. 50.* cum comuni Feudistarum



rum schola non dubito *arg. 2.F.11. v. Schrad. tr. feud. p.7.c.6.n.2.*  
*Rittersh.c.12.l.1.q.pen Dn. Carpz disp. feud. 5.th.15.*

82. Quibusdam tamen casibus etiam ascendentium in feudis successio locum habet, ut si in prima feudi concessione hoc actum sit *tit.84. in extraord. capit.* aut si pater in filii favorem feudum refutarit, *2.F.14. Schrad. p.7.c.6.n.4.* Quam exceptionem in Camera Imperiali receptam testatur, *Mynsing. 3. obs. 93.* aut si filius propter bene merita patris remunerationis ergo de feudo fuerit investitus & ante patrem decesserit, *arg. l. dotem 6. de collation. Rittersh. d.c. 12. q. ult.* Denique si lege, statuto vel consuetudine hæc successio sit recepta, *arg. 2. F. 1. in pr.* De his aliisque exceptionibus videantur latius *Rosenth. d.c. 7. concl. 14. num. 18. & seqq. Schrad. p. 7. c. 6. n. 3. & seqq. cum ibid. citatis.*

83. Porro licet ex *Edicto Prætoris* defuncti qui nullos cognatos reliquit hereditas ad coniugem superstitem pertineat *t. r. ff. & C. und. vir & uxor.* Quod Edictum Imperatores etiam confirmarunt *vid. §. 2. vers. aliam. l. de bon. possess. & Ampli. Dn. Præf. part. elem. p. 3. sect. 3. th. 2. in exo.* De iure tamen feudali nulla est coniugum in feudis successio *1. F. 15. licet simul sint investiti c. 104. §. fin. & 84. in extraord.* *Fiscus* quoque licet bona eorum, qui absque herede moriuntur aut ob grave aliquod crimen damnati sunt, occupet, in feudis tamen non succedit, nisi forte ipse Dominus nullos reliquerit heredes *Rittersh. c. 16. q. ult.*

84. Hæc de successione ordinaria pro modo instituti dicta sufficiant, circa quam plurimæ per utiles simul ac difficiles solent moveri quæstiones, v. g. An successor repudiatis bonis allodialibus possit retinere feudum? Item an teneatur æs alienum à defuncto contractum solvere? An feudum imputetur in legitimam? An veniat in collationem & fideicommissi restitutionem? &c. Quas tanquam à Feudistis comm. prolixè satis tractatas nunc prætermitto, præsertim quod pleræque earum à materia quam tractandam suscepi, alieniores paulo sint, illisque relictis ad successionem extraordinariam sive anormalam (*vide th. 25. supra*) transeo.

85. Anormalam sive irregularem successionem voco, quæ ex pacto successorio defertur. De iure civili huiusmodi pacta omnimodo improbantur, *l. 1. de hered. vel action. vend.* adeo ut





100  
nec iuramento confirmata valeant, arg. l. 7. §. 16. ff. de pact. l. 5. §. 1. C. de LL. Fach 8 contr. 72. Gail. 2. obs. 126. non tam quod auferant liberam testandi facultatem l. 15. C. de pact. votumque captandæ mortis inducant, l. 2. C. de transact. quam quia certi sunt & à LL. determinati tam obligationis aut domini quam hereditatis acquirendæ modi: lex sc. & testamentum §. ult. Inst. per quas person. cuique acq. Pactis autem hereditas deferri nequit l. 5. C. de pact. convent. Dn. Hahn. dissert. de iur. rer. concl. 67. n. 6.

86. Ex quibus patet pacta hæc successoria non adeo æquitati iurique naturali repugnare, quo minus lege aut consuetudine aliqua confirmari possint Bachov. in misc. cap. 13. præsertim cum de iure civili quoque certis casibus sint licita, ut si ille de cuius hereditate pactum interponitur consentiat l. fin. C. de pact. aut si milites tale pactum fecerint. l. 19. C. eod. Imo Leo Imp. sine controversia doctissimus, adeo ut Philosophi nomen meruerit, constitutionem l. 15. C. de pact. absurdam & naturali æquitati contrariam pronunciat Nov. Leon. 19. & videmus hodiernis temporibus ubivis ferè gentium receptum esse, ut hereditas pactis acquiri possit Cothman. 3. concl. 44. n. 37. nihilque in Germania esse frequentius quam ut in feudis succedatur ex pacto, quod celebratur vel inter tertium & Dominum feudi, diciturque pactum expectativum vel inter tertium & vasallum, quod iterum est vel confraternitatis vel ganerbinatus.

87. Pactum expectativum est, quo convenit inter Dominum & extraneum, ut si contingat ultimum vasallum sine liberis aut heredibus mori, feudum ad hunc devolvatur, dominusque eius investituram ipsi conferre teneatur, vulgo dicitur pactum de caducitate possessionis Hartm. lib. 2. q. 25. n. 1. sive expectativa Gail. 2. obs. 155. Germanicè Ein Exspectanz oder Anwartsung auf eines andern Lehen / Vult. c. 7. n. 6. Licite autem tale pactum à Domino celebrari probatur tum textus expressus in 2. F. 26 §. moribus, tum argumentum desumptum à proprietario, qui usum fructum in eum casum quo extinguetur alteri concedere potest. Gail. d. obs. 155. plura de hoc pacto vid. apud Vult. d. c. 7. n. 65. Hartm. Pistor. l. 2. q. 25. Dn. Hahn. diss. de iur. rer. concl. 87.

88. Confraternitatis pactum est, quo inter illustres familias interveniente Cæsareæ Maiestatis autoritate convenit ut una familia



familia, quoad legitimos heredes extincta alteri bona & ditiones eius certa successionis lege deferantur Germanicè Erbverbrüderung / vel ut alii Erbvereinigung / quod posterius vocabulum latiore paulò habet significationem, vid. Dn. Carpz. ad l. Reg. German. c. 6. sect. 7. n. 2. Cuiusmodi pacta in usu frequenti esse & de longa, immorialique tempore approbatà consuetudine confirmata testis est Dn. Carpz. d. loc. n. 35. imò favorabilia illa dicit Gail. 2. obs. 127. ut quorum remedio pax & tranquillitas in Imperio conservatur, subditique alienis ignotisque Dominis non subiiciuntur facit l. 34. & de fideicom. libert. Exemplum huius pacti nobilissimum occurrit inter serenissimam illustrissimamque familiam Saxoniae & Hassiae, de quo vid. peculiarem dissertationem Dn. Carpz. Alia exempla occurrunt passim apud Jctos & Politicos, v. Waremund. ab Erenberg l. 1. de fœd. c. 2. n. 35. & c. 4. n. 10. Wehener & Besold. in verb. Erbverbrüderungen. Limn. de iur. publ. l. 4. cap. 8. Renck. l. 1. cl. 4. c. 18. Schutz. coll. iur. pub. disp. 6. th. 29. Dn. Hahn. diss. de iur. rer. concl. 75.

89. Denique pactum Ganerbinatus est conventio illustrium vel nobilium familiarum in eum finem facta, ut se suasque facultates contra vim hostilesque incursiones coniunctis viribus defenderent, unaque familia extincta reliquarum superstites ex æquo succedant, Germanicè qui talia pacta celebrant, dicuntur Ganerben / quasi gemeine Erben Wehn in obs. pract. verbo Ganerben licet alii aliunde vocis huius originem derivent, v. Haenon. in coroll. 1. disp. 9. ad ff. lit. A. Causam hisce pactis dederunt frequentissimæ deprædationes & latrocinia, quibus ante pacis publicæ constitutionem Germania nostra miserrimè vexabatur; Exempla horum pactorum v. apud Killing. de casu Ganerb. & Schutz. coll. iur. pub. disp. 9. th. 17. potest autè quis bona sua facere Ganerbica tam feudalia quam allodialia dummodo illo casu accedat Domini agnatorumque, quorum interest consensus Rittersh. l. 1. c. 17. part. feud. vers. illud hic. Nec enim debet alicui per alterum iniqua conditio inferri l. 74. de Reg. iur. vid. Dn. Carpz. ad l. Reg. c. 3. sect. 4. n. 11. Dn. Hahn. diss. de iur. rer. concl. 76. aliosque supra citatos.

F I N I S.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is difficult to decipher due to its low contrast and the texture of the aged paper.

I  
M  
S






X 2615934


WOM











DISPUTATIO JURIDICA

De

MODIS ACQVIREN-  
DI FEVDVM,

Quam

Divina favente gratia,

PRÆSIDE

Viro Amplissimo, Consultissimo & Ex-  
cellentissimo,

DN. IOH. OTTONE TABORE,  
U. J. D. ET ANTECESSORE IN HAC  
Argentoratensium Academia, Facultatis Juridi-

cæ p. t. DECANO, Codicis & Feudalium Placitorum  
Professore celeberrimo, Patrono suo & Præceptore summo  
obsequio atatem suspiciendo,

Publice placidæ, disquisitioni submittit

FRANCISCUS MEINDERS,  
Bilfeldiâ VVestphalus.

Ad diem 21. Septembr.

ARGENTORATI,  
Typis FRIDERICI SPOOR,

clb lcc L.

72  
637.

1650, 12.

27

